OFFICIVM S. HENRICI IMPERATORIS CONFESSORIS

SEMIDVPLEX.

A Sac.Rit. Congr.recognitum,& approbatum.

De mandato Sanctissimi D. N. CLEMENTIS Diuina dispositione Papæ X. in Breuiario Romano apponendum.

Ab omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, qui ad horas Canonicas tenentur, recitandum die decima quinta Iulij.





ROMAE, Ex Typographia R. Cam. Apost. 1671.

Superiorum permissu, & Priuilegio.

Die 15. Iulij.

IN FESTO S. HENRICI IMPERATORIS CONFESSORIS

SEMIDVPLEX.

Omnia dicuntur de Communi Confessoris non Pontificis, præter Orationem propriam, & Lectiones secundi Nocturni.

Oratio.

DEvs, qui hodierna die B. Henricum, Confessorem tuum, è terreni culmine imperij ad regnum æternum transtulisti, te supplices exoramus, vt sicut illum, gratiæ tuæ vbertate preuentum, illecebras seculi superare fecisti; ità nos facias eius imitatione, mundi huius blandimenta vitare, & ad te puris mentibus peruenire. Per Dominum &c.

Lectiones I. Nocturni de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

HEnricvs, cognomento Pius, è Duce Bauariæ Rex

Germaniæ, ac postmodum Romanorum Imperator, temporalis Regni non contentus angustijs, pro adipiscenda immortalitatis corona sedulam æterno Regi exhibuit seruitutem; Adepto enim Imperio, religioni amplificandæ studiosè incumbens, Ecclesias, ab infidelibus destructas, magnificentius reparauit, plurimisque largitionibus, & prædijs locupletauit. Monasteria, aliaque loca pia, vel ipse ædificauit, vel assignatis redditibus auxit. Episcopatum Bambergẽsem, hæreditarijs opibus fundatum, Beato Petro, Romanoque Pontifici vectigalem fecit. Benedictum Octauum, à quo Imperij coronam acceperat, profugum excepit, suæque sedi restituit.

Lectio v.

IN Cassinensi Monasterio graui detentus infirmitate, à Sancto Benedicto, insigni miraculo, sanatus est. Romanam Ecclesiam amplissimo diplomate muneratus, eidem tuendæ, bellum aduersus Græcos suscepit, & Apuliam, diu ab illis possessam, recuperauit. Nihil sine precibus aggredi solitus, Angelum Domini, Sanctosque Martyres tutelares, pro se pugnantes ante aciẽ, interdum vidit. Diuina autem protectus ope, barbaras nationes precibus magis, quàm ar-

armis expugnauit. Pannoniam adhuc infidelem, tradita Stephano Regi sorore sua in vxorem, eoque baptizato, ad Christi fidem perduxit. Virginitatem, raro exemplo, matrimonio iunxit, Sanctamque Conegundam coniugem suam, propinquis eius, morti proximus, illibatam restituit.

Lectio vi.

Deniqué rebus omnibus, quæ ad Imperij honorem, & vtilitatem pertinebant, summa prudentia dispositis, & illustribus per Galliam, Italiam, & Germaniam, religiosæ munificentiæ vestigijs passim relictis, postquam heroicæ virtutis suauissimum odorem longè, lateque diffuderat, sanctitate, quàm sceptro clarior, ad Regni cœlestis præmia, consummatis vitæ laboribus, à Dño vocatus est. Anno salutis millesimo vigesimo quarto, cuius corpus in Ecclesia Beatorũ Apostolorum Petri, & Pauli Bambergæ conditum fuit, statimque ad eius tumulum multa miracula, Deo ipsum glorificante, patrata sunt, quibus postea ritè probatis, Eugenius Tertius Sanctorũ numero illũ adscripsit.

IN III. NOCTVRNO

Euang. Sint lumbi vestri pręcincti &c. *Hom. S.Gregorij Papæ de Communi Confess. non Pont.* *Missa* Os iusti &c. *de eod. Com. Oratio, vt sup.*

Su-


VRBIS, ET ORBIS.

Supradictas Lectiones, & Orationem propriam, de mandato Sanctissimi D. N. Clementis Papæ X. ab Eminentissimo D. Cardinali Bona compositas, Sac. Rituum Congregatio, ad preces Augustissimi Imperatoris, Sanctitati Suæ porrectas per Eminentiss. D. Cardinalem de Hassia, approbauit pro Ecclesia Vniuersali, & ab omnibus Christi fidelibus, tùm Secularibus, tùm Regularibus vtriusque sexus, qui ad horas Canonicas tenentur, recitari posse declarauit, easque imprimi concessit. Hac die 28. Februarij 1671.

Card. Antonius Barberinus Episc. Præn.

Loco ✱ sigilli.

Bernardinus Casalius Sac. Rit. Congreg. Secr.



VRBIS, ET ORBIS.

SVpradictas Lectiones, & Orationem propriam, de mandato Sanctissimi D. N. Clementis Papæ X. ab Eminentissimo D. Cardinali Bona compositas, Sac. Rituum Congregatio, ad preces Augustissimi Imperatoris, Sanctitati Suæ porrectas per Eminentiss. D. Cardinalem de Hassia, approbauit pro Ecclesia Vniuersali, & ab omnibus Christi fidelibus, tùm Secularibus, tùm Regularibus vtriusque sexus, qui ad horas Canonicas tenentur, recitari posse declarauit, easque imprimi concessit. Hac die 28. Februarij 1671.

Card. Antonius Barberinus Episc. Præn.

Loco ✱ sigilli.

Bernardinus Casalius Sac. Rit. Congreg. Secr.

